

CAROLI SEBASTIANI
BERARDI

IN R. TAURINENSI ATHENÆO

JURIS ECCLESIASTICI ANTECESSORIS

A C

De rebus ad Canonum Scientiam pertinentibus

CONSULTORIS REGII

INSTITUTIONES
JURIS ECCLESIASTICI.

OPUS POSTHUMUM

IN DUAS PARTES TRIBUTUM.

P A R S I.

SUPERIORUM PERMISSU.

M A T R I T I.

Ex Typographia D. ANTONII DE SANCHAI

M. D C C. L X X I V.

Bibliopolarum & Typographorum Regiæ Societatis expensis.



PRÆFATIO.

QUÆ tyronibus sunt ceu prima præsidia, apparatus, & fundamenta ad ineunda studia scientiarum; eadem ipsa proVectis sunt ceu fructus uberrimus, summusve apex, & cumulus quaesitæ doctrinæ, in quo denique conquiescant: ita quidem, ut tyrones primis principiis utantur, propositis magisterio eorum, quibus se crediderunt, magis de recipiendo, quam de librando, discutiendo solliciti, & sola instructione contenti; proVecti e contrario eorundem principiorum sint exploratores, judices, imo, & pro arbitrio, atque industria sua moderatores, ac tributores. Sic peregre profectis, & late per varias orbis oras pervagatis, quum iter absoluerint, quid amplius tum ex præconcepto voto contingit, quam ut valeant refigere altius, atque ordinatius disponere illa ipsa juris publici, ac gentium semina, quæ, antequam discederent, quumque in procinctu essent, summam a præceptoribus exceperunt? Eandem pene ob causam eruditi librorum auctores non nisi postremo loco conficiunt præfationes operis diu elaborati, in quibus paucis & scopum, & causas universas exprimant, atque perstringant; præfationes, inquam, a quibus studiosi lectores initium faciant addiscendi. Docet experientia humanarum mentium magistra, in omni disciplina



PARS I.
JURIS ECCLESIASTICI
PROLEGOMENA.

TITULUS I
DE ECCLESIA.

I.



ECCLESIA est universitas hominum
colentium Deum una eademque
professione doctrinae fidei, & mo-
rum; item protestatione observan-
tiae divinarum legum sub regimi-
ne, & cura Antistitum divina or-
dinatione praepositorum.

Dico universitatem hominum, non enim in
uno consistit, sed in universis, qui fuerunt, qui
sunt, & qui exituri, dummodo tales, qui in uni-
tatem legitimis vinculis coalescant.

A

Dico